

Christoph David Anton Martini

**Ordinis Theologorvm In Academia Rostochiensi Pro-Decanvs Et Brabevta D. Chr.
Dav. Ant. Martini Theol. Prof. Pvbl. Ord. Et Consistorii Dvcalis Assessor, Viri
Clarissimi Ac Plvrimvm Reverendi Lvdovici Theobvli Kosegarten Philosophiae
Doctoris Et Parochiae Altenkircha-Wittoviensis Pastoris Cet. Inavgurationis
Doctoralis Solemnia More Solito Indicat : Praemittvntvr Nonnvla De Orationvm
Christi Ad Animos Avdientivm Vi Et Efficacia**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1793]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003401260>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1793

Martini, Chr. Dav. Ant.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1003401260/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003401260/phys_0003)

DFG

Prog. -
Ma. Prakt. 1793

ORDINIS THEOLOGORVM

I N

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

PRO-DECANVS ET BRABEVTA

des
D. CHR. DAV. ANT. MARTINI

THEOL. PROF. PURL. ORD. ET CON-
SISTORII DVCALIS ASSESSOR,

für
VIRI CLARISSIMI AC PLVRIMVM REVERENDI
LVDOVICI THEOBVLI KOSEGARTEN

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET PARO-
CHIAE ALTENKIRCHA - WITTOVIENSIS
PASTORIS CET.

INAUGURATIONIS DOCTORALIS SOLEMNIA

MORE SOLITO INDICAT.



PRAEMITTUNTUR NONNVLLA DE ORATIONVM CHRISTI AD ANIMOS
AVDIENTIVM VI ET EFFICACIA.

ROSTOCHII
LITTERIS ADLERIANIS.

1793.


W. A. M.

ORDINIS THEOLOGORVM

ACADEMIA - AMERICA


ATRIBUENS ET LIBERANS

LIBRARY OF THE AMERICAN ACADEMY



LIBRARY OF THE AMERICAN ACADEMY

AMERICA



Saepius commemoratum legimus ab iis, qui de vita et rebus gestis Iesu Christi, praestantissimi humani generis doctoris, tradiderunt; orationes eius ad populum habitas fuisse eiusmodi, ut insigni quadam cum vi audientium animos permoverent ⁽¹⁾. Et quaeri potest, quid potissimum fuerit in orationibus eius, quod hac vi et efficacia eas impertiret. Neque enim, quod satis constat, ad hominum istius aetatis pravas opiniones, sensus ac mores doctrinam suam accommodavit, neque vana felicitatis cuiusdam externae spe infecta animos laetavit, neque iis artibus usus est, quas ad animorum motus concitandos et inflammandos excogitavit rhetorum solertia. Itaque de causis ac rationibus efficaciae istius, quae orationibus Christi vindicatur, hac occasione data nonnulla differamus, sed quam brevissime, et summorum tantum capitum ratione habita; ea enim copia, quam res ferret, quo minus in praesenti utamur, limites obstant, huic scriptio[ni] praefixi.

A 2

Iam

(1) Matth. VII, 28. 29. εξεπλησσούσος οἱ οὐλοι επὶ τὴν διδαχὴν αὐτοῦ
οὐ γὰρ διδόσκων αὐτοὺς ὡς εἰδουσίαν εἶναι, καὶ οὐκ ας
οἱ γραμματεῖς. Luc. IV, 32. εξεπλησσούσος επὶ τὴν διδαχὴν αυ-
τοῦ, ἐπὶ τῇ εἰδουσίᾳ τῷ οὐ λόγος αὐτοῦ.

Iam primum in quaestione proposita argumentum ipsum, quod sermone tractabat Christus, maxime in censem venire, non dubitanter ad severaverim, ita nimirum comparatum, ut *per se* animis commovendis quam maxime esset idoneum. Cum enim hoc propositum haberet divinus ille generis humani σωτηρ, ut a superstitionum et vitiorum turpitudine et foeditate ad verae pietatis atque virtutis dignitatem et sanctitatem homines revocaret, non ille rerum abstrusarum obscuritate, disputationumque de interiore mentis divinae natura subtilitate et vanitate animos fatigavit, non quaesiunculis et opiniunculis oneravit, sed paucis, at gravissimis, veritatis fructuosaे praeceptis animos imbuendos esse putavit. Itaque ante omnia hoc egit, ut superstitionem istam, quae per omnes gentes fusa, omnium fere animos oppressit, hominumque imbecillitatem occupavit, qua indueti verborum nominumque professione, expiationum et lustrationum ceremoniis, externa honoris significatione, statis precum formulis, publicorum conventuum solemnibus et similibus numen sibi propitiuni reddi posse, temere sibi persuadebant, ut hunc inquam funestissimum errorem, tunc quoque per populares suos late grassantem, ex hominum animis evelleret, eiusque, si fieri posset, stirpes omnes eiiceret. Numen sanctissimum constanter docuit, non nisi animi vitaeque sanctitate coli posse, nihilque ad eius favorem aditum munire praeter virtutem, seu officii constantem et perpetuam conservationem: itaque virtutem in summi boni sede collocandam esse, atque propter se expetendam: hanc ipsam vero virtutem non ex sola actionum externarum honestate metiendam, sed hoc in primis spectandum esse, an officio ductus feceris, quidquid feceris, omninoque verae virtutis vim quae-rendam

rendam esse in animo recte conformato, nullaque vitiorum labefactato: nec vero existimandum esse, hanc recte sentiendi agendique constantiam sine sudore et sanguine, ut ille ait, contingere, virtutisque habitum sacerordiae hianti et oscitanti divinitus infundi (*); sed sine summo studio et labore hunc tantum bonum parari non posse. Itaque omni ignavia et desidia excussa omnes nervos intendendos esse, omnique animi cura, cogitatione, et studio in id incumbendum, ut ad veram virtutem, iustitiam, fidem, aequitatem, bonitatem, animum informes; ante omnia sedulo cavendum esse, ne ratio, animi lumen (*το φως εν σοι* Matth. VI, 23.) praeconceptarum opinionum caligine extinguiatur, huic potissimum excolendae operam assiduam adhibendam, eiusque recte perpurgatae dictamina unice sequenda esse, sensuum cupiditates severa lege esse coercendas ac refrenandas, animumque eo assuefaciendum, ut, quae recte iudicaveris, iis etiam actiones tuas accommodes, spretis commodis atque utilitatibus omnibus, quae cum officii sanctitate constare non possint (2). His fere paucis at gravissi-

A 3

mis

(*) Admirationem non facit, hanc opinionem et olim multis placuisse, et nunc etiam placere, cum ignaviae et inertiae tam opportuna sit. Vix tamen ulla perniciosior cogitari potest.

(2) De his, quae hic exposita sunt, non opus esse videtur, multa loca e commentariis Evangelistarum cumulare. Conferre tamen iuvet Ioh. IV, 23. 24. Matth. VI, 33. IX, 3. VII, 21 sq. XXII, 37 sq. XXIII, 23 sq. Luc. X, 27. 28. XXIV, 47. Matth. V, 8. 23. 24. 28. VI, 1 sq. XII, 33 sq. XV, 19 sq. Matth. XXV, 14 sq. Luc. XIX, 11 sq. Matth. V, 29. 30. XIII, 8 etc. Ceterum neminem poenitebit legisse, quae in eandem fere sententiam disputata sunt a KANTIO, summo viro, in libro, cui titulum fecit: Die Religion innerhalb der Grenzen der

blos-

mis praeceptis institutionis Christi sumnam contineri videas.
 Quae vero praeterea de summi numinis maiestate, sapientia,
 iustitia, bonitate, de cura eius ac providentia, non ad unum
 populum, ad unam sectam, et professionem opinionis ac cultus,
 sed ad generis humani universitatem pertinente, denique de
 animorum immortalitate praecclare docuit, ea omnia huc ten-
 debant, ut, depulsis vanarum opinionum ludibriis, rectis de
 Deo et de suae ipsorum naturae excellentia sensibus imbuti ho-
 mines, ad virtutis viam alacriore animo ingrediendam et con-
 stanter persequendam erigerentur atque confirmarentur.

Ita vero cum comparata esset institutio Christi, ut ad ho-
 nestatis doctrinam et commendationem pertineret, quicquid do-
 cuit, mirum videri non debet, si audientium animi hac
 sanctiore eius doctrina graviter se commotos sentirent. (3)
 Habet enim hoc profecto animus humanus, ut, modo secum
 ipse habitet, nec turbulentis motibus et iactationibus sit conci-
 tatus, fieri non possit, quin obiecta honestatis et virtutis specie,
 reverentia tactus, eius admiratione, desiderio quoque facile ac-
 cendi possit, idque ita verum est, ut in officiis explicandis et
 inculcandis, quo minus voluntatis momenta petieris a commo-
 dis externis, cum virtutis studio interdum coniunctis, quo ma-
 gis omnia potius ad officii necessitatem et sanctitatem retuleris,
 eo magis eorum, qui in disciplinam tuam se tradiderunt, animos
 efferriri, et generoso sensu ac motu agitari atque inflammari vi-
 deas.

blossen Vernunft, p. 225 sq. adde Reinboldi Briefe über die Käntische
 Philosophie, Vol. I. p. 147 sq.

(3) Cicero de officiis l. 2. c. 9. *Illud ipsum, quod honestum dicimus, per se
 nobis placet, animosque omnium natura et specie sua commovet.*

deas. (4) Itaque quae institutioni Christi tribuitur vis et efficacia, eius rationem in primis ab ipsa veritatis, quam tradidit, gravitate et sanctitate derivandam esse nulli dubitamus, praesertim cum ipse narrationis contextus apud Matthaeum hanc rationem egregie confirmet. Postquam enim sanctissima doctrine Christi praecepta, quae in oratione sic dicta montana (Matth. V-VII.) continentur, proposuerat; haec, inquit, *oratione eius audientes vehementer perculti sunt.* — „Vigor nimirum doctrinae perfectae, ac genuina quaedam veritatis vis afflabat docilem ac simplicem multitudinem, nihil expertum simile in suis scribis ac Phariseis.“ (5)

Haec

(4) cf. omnino KANT Kritik der Praktischen Vernunft, p. 126-159. p. 271 sq. Eiusd. Kritik der Urtheilskraft, p. 123. JACOB Ueber das Moralische Gefuhl, Hal. 1788, alii. Multa quoque, quae hoc pertinent, egregie disputata leguntur in SCHILLERI diatribe: Ueber den Grund des Vergnigens an tragischen Gegenständen; inserta Novae Thaliae, P. I. p. 92 sq.

(5) Ita ERASMUS in Paraphrasi N. T. T. I. p. 92. ed. Augustini. — Ceterum rectius omnino statuitur, laudata capita Matth. V-VII. non pro una et continua oratione esse habenda, sed multa iis inserta esse vitae morumque praecepta, alio loco et tempore, aliis occasionibus, aliis auditoribus, a Christo enuntiata, a Mattheo autem, quem in universum in narrationibus suis maiorem argumenti quam temporis rationem habuisse constat, in unum locum collecta et coagmentata, forte quod doctrinae Iesu luculentius aliquod specimen proponere vellet. Quod quidem iudicium, ut alia argumenta gravissima nunc omittamus, vel ea de causa maxime probabile videri debet, quod multae sententiae, quae apud Matthaeum nullo nexus iunctae comparent, quarum nexus certe non nisi ridiculis adhibitis extorqueri potest, quod haec ipsae, inquam, sententiae apud reliquos Evangelistas tan-

quam

Haec ipsa vero, quae veritati ab eo traditae inerat vis et efficacia, mirifice adiuvabatur methodi, qua in populo insti-
tuendo utebatur, sapientia et praestantia. Omnino enim non
parum refert, quomodo in rebus moralibus tractandis verseris.
Quod si qui nuda praexcepta acutis et subtilibus disputationibus
illigando, et iejuno aridoque sermone proponendo hoc se con-
sequutos putant, ut ad vitae morumque sanctitatem, nescio
quam, homines adducerent, nae illi egregie falluntur. *Non*
facile, at verbis HEYNII, summi viri utar (⁽⁶⁾), expugnatur animus,
nisi primo loco, factis et exemplis propositis, usu et consuetudine
admota, tum secundo loco, sententiis gravibus, vividis rerum ad sen-
sum declarationibus, argumentorum probantium in moventia conver-
sionibus, exemplis mentem attonitam percellentibus, orationis porro
dignitate, interdum etiam pulchritudine et ornatu. Hoc idem pree-
clare

quam per aliam occasionem propositae commemoarentur, ibique nexus
quam maxime naturali fluere deprehendantur. cf. I. D. POTT com-
ment. de natura atque indole orationis montanae, Helmstad. 1789.
EICHHORN Allgem. Biblioth. der bibl. Litter. II. p. 351 sq. Eandem
rationem placuisse b. KOPPIO, ex concionibus eius post mortem editis intelligitur. V. T. II. p. 70 sq. Vulgarem tamen rationem, quae
totam istam orationem uno quasi tenore a Christo habitam esse defen-
dit, novis argumentis nuper tueri aggressius est Ven. STORR in dissert.
exeget. in LI. N. T. aliquot loca I. p. 13 sq. II. p. 17 sq. Nobis qui-
dem sententiam suam non persuasit. Quidquid praeterea obscuritatis
et dubitationis habent capita laudata, id facile dispelletur et diluetur,
modo memineris *partim*, multa iis contineri, quae ad solos apostolos
pertinere censenda sunt, *partim* insolitas dicendi formulas ad Iudeo-
rum istius aetatis sententiosum et proverbiale dicendi genus exigenda,
non autem singulis verbis anxie inhaerendum esse. De rei summa
bene et graviter admonuit b. KOPPE I. I.

(6) in opuscul. Academ. Vol. I. p. 273.

clare intelligens praestantissimus ille generis humani docto^r, idemque naturae humanae sagacissimus explorator, methodum institutionis amplexus est probatissimam, et ad honestatis amorē ac studium in hominum animis excitandum aptissimam. Itaque orationes eius distinctas videas tot praeclaris sententiis, veritate, gravitate, acumine quoque, novitate, et suavitate conspicuis, iisque sine omni fuso et pigmento puerili, praeclare tamen ad insinuandas se in hominum animos expressis. (7) Exemplorum autem loco adhibebat *parabolas*, ad veritatis vim et naturam ita explicandam et illustrandam, ut planissime intellegi sentiriique possit, in primis idoneas, easque veritate et simplicitate eminentissimas, ita ut omnium, qui in his rebus aliquid vident, laudibus celebrentur, et vel nunc quoque ad animum, nondum seculi genio imbutum atque corruptum, insignem aliquam vim habere deprehendantur. (8) Omnino ad intelligentiam

(7) Ad sententias sigillatim memorandas descendere per instituti rationem non licet. Vide e. c. Matth. VI, 19 sqq. VII, 12. VII, 24 sq. Luc. XVI, 10. Ioh. III, 21 sq. VIII, 32 sq. al.

(8) Vocem *παραβολῆς* archiori sensu h. l. accipimus, ut sit rei gestae *fictae* ad persuadendum apta commemoratio. Latiore enim sensu eam de similibus quibuscumque, de quovis dicto sententioso, etiam de adagiis ac proverbiis usurpari constat. V. SCHLEUSNERI Lexicōn N. T. II. p. 371. qui etiam scriptores de usū parabolarum apud veteres diligenter laudavit. Praeterea per se patet, istas tantum parabolas a nobis spectari, quae rebus illustrandis et ad animi sensum admovendis inservirent v. c. Matth. 18, 23 sq. Luc. X, 30 sq. XVI, 19 sq. Sunt enim etiam parabolae e genere alio, quibus quaedam doctrinae suae capita prudenter quasi opera^c celata esse voluit, ita tamen, ut ingenuis

tiam popularem egregie accommodata erat universa orationis forma; dum imaginibus pulcherrimis, itaque aptis, ut e rebus natae, non a dicente excogitatae esse viderentur, ac similibus ab iis rebus, quae vulgo etiam notissimae sunt, ductis, res intelligibiles ad sensum quodammodo revocaret, et oculis quasi subiiceret, sermoneque uteretur simplici, nihil argutae artis habente, recto, perspicuo, et consuetudinem quotidiani et familiaris sermonis, sed tamen cum virtutibus haud paucis, tum in sententiis, tum in verbis, imitante. Quo referendum et hoc, quod a rebus obviis differendi materiam desumeret, quod loco, tempori, audientium ingenii accommodatissima esset oratio, quod denique orationis gravitatem temperaret insigni aliqua comitate, ad illabendum hominum animis inprimis illa efficacē (9).

Argumentum orationum Christi, docendique modum et rationem plurimum ad animos audientium commovendos, et generosis sensibus imbuedos valuisse vidimus. Nec tamen tantam vim ea habuisse putandum est, nisi maximum momen-

tum

scrutatoribus assequendi spes non intercluderetur, v. c. Luc. XIV, 16 sq. cf. ERASMUS de ratione s. methodo pervenienti ad veram Theolog. p. 118 sq. ed. Hallbaueri; et Bartels V. C. Ueber den Werth und die Wirkungen der Sittenlehre Iesu, T. I. p. 115.

- (9) Ad intelligentiam popularem prorsus apte et efficaciter saluberrima doctrinae suae capita tradidisse Christum, obseruatum iam est et egregie illustratum ab Origene adv. Celsum L. VII. p. 371 sq. ed. Spencer. Recentiorum multi in hoc argumento copiosius tractando elaborarunt. v. HARWOOD introduction to the study of the N. T. p. 264 sq. IORTIN Abhandlungen über die Wahrh. der Rel. p. 262 sq. vers. germ. HESS über die Lehren, Thaten und Schicksale u. Herrn. Zürch 1787. LESS Ueber die Relig. II. p. 66. sq. ut alios mittamus.

— — —

11

tum accessisset ab insigni, qua Iesus eminuit, animi vitaequae sanctitate, ut itaque haec ipsa mens pura et sancta, vitaequae totius ratio, inter praecipuas tantae orationum eius efficaciae causas referenda esse videatur. Quod si quodammodo recte statuitur, *eum, qui sit orator, virum bonum esse oportere* (10), hoc multo magis etiam valet de eo, cui id propositum esse debet, ut ad honestatem et virtutem animos informet. Ut enim illud praetermittamus, generosam animi indolem mentisque candorem cavere, ne vana eruditio ostentandae cupiditate illestitus res inutiles admisceat, a consilio isto, quod semper ei ob oculos versari debet, alienas, vel auditorum gratiam captaturus, sive de ipsis virtutis severitate detrahatur, sive in sola verborum suavitate et exornatione elaboret, rerum gravitate neglecta; ut haec, inquam, nunc non commemoremus, quamquam ad declarandum id, quod spectamus, magnopere valent; ipsa illa animi sanctitas et magnitudo ad sententias optimas inventandas non parvam vim habere putanda est. Animus enim humilis et abiectus, sordidisque cupiditatibus gravatus atque depressus, vix rerum magnarum gravem cogitationem suscipere ac sustinere valet; cum contra, si animum habeas alto virtutis sensu affectum, cogitationes magnae et vere sublimes multo facilius menti se ingerant, ipsaque eloquendi simplicitas, proprietas ac gravitas a mente, ad verae honestatis sensum composita, non parum adiuvetur. (11) Deinde ad animos permovendos

B 2

vendos

(10) V. Quintilian. Inst. Or. XII, 1.

(11) Quintilian. XII, 2. p. 605. ed. Gesner. An de iustitia, fortitudine, abstinentia, temperantia, pietate, non plurima dicet orator? Sed ille vir bonus, qui haec non vocibus tantum sibi nota atque nominibus

vendos constat quamplurimum valere, si quae dicis, cum sensu
h. e. ita proferantur, ut e sono vocis vultusque habitu rerum,
quae tractas, magnitudine ac gravitate te ipsum esse commotum,
apparet. Sed nulla alia re melius hoc fieri potest, quam
si ipse omnibus iis sensibus ac motibus plenum pectus habeas,
quos aliis imprimere velis. Atqui non ignoramus, aliquid etiam
in hac re posse ingeniosam simulationem, fierique interdum, ut
ab hominibus quoque improbis, ingenio tamen praestantibus,
animique teneritatem quadam ac mollitudine praeditis, graves sen-
tentiae et magni sensus non infeliciter histriorum more affecten-
tur. At hoc ipsum non ita fieri callide atque constanter potest,
ut non interdum histrio pelluceat, simulatioque prudentum oculis
pateat, quae semel detecta, dici non potest, quantopere dictorum
vivum frangat atque impedit. (12) Denique nullo modo obscu-
rum

minibus, aurum tenus in usum linguae percepit, sed qui virtutes
ipsas mente complexus, ita sentiet, nec in cogitando ita laborabit,
sed, quod sciet, vere dicet. Longin. de sublimitate c. IX. p. 44. ed.

Mori: πρωτον ιο, εξ ου γινεται, (scilicet orationis sublimitas)
προϋποθεσθαι παντως αναγνοειν, ως εχειν δει ιον αληθη
επιστη μη ταπεινον Φρονημα και αγεννες· ουδε γαρ οιον ιε,
μικρος και δουλοπρεπη Φρονιστας και επιηδευστας παρ
οιον ιον βιν, θαυμαστον ιι· εξενεγκειν μεγαλοι δε οι λο-
γοι ιουιων, καιτος ιο εινος, ων αν εμβριθεις αστη και ευνοαι·

cf. eundem c. XLIV. p. 254 sq.

(12) Quintil. XIII, I. p. 600. Certe melius persuadebit aliis, qui prius per-
suaserit sibi. Prodit enim se, quamlibet custodiatur, simulatio: nec
unquam tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titubet ac haereat,
quoties ab animo verba dissentiant. Vir autem malus aliud dicat ne-
cessere est, quam sentit, etc.

rum esse potest, quantam vim habeat perspecta vitae morumque ratio eorum, qui doctores et duces se profitentur, sive ad alliciendum, sive ad persuadendum; ipsoque rerum usu confirmatur, nulla re certius, praesertim apud imperitam multitudinem, omnem dicentis fidem destrui et elevari, quam si ipse virtutis, cuius praestantiam praedicat, expers humilibus cupiditatibus mancipatus appareat, contra multo faciliorem ad aures animosque aditum dari, si ad ea, quae aliis iniungis, honestatis praecepta, dicta factaque tua ipse exigere deprehendaris.

Quae cum ita sint, quis est, qui illam virtutis, qua vitae decursum illustravit Iesus, praestantiam nihil ad institutionis eius vim augendam et intendendam profuisse statuat? Evidem ipsam illam animi vitaeque sanctitatem, ardens illud pro veritate et virtute peccatum, numinis sanctam reverentiam, constantiam, quae nullis calamitatibus frangi et impediri se passa est, quo minus opus suum perficeret, earum rerum, ad quarum curam plerorumque ingenia per totam vitam depressa sunt, generosum contemptum, animi in adversis tolerandis magnitudinem, aliorum salutis curam perpetuam atque indefessam, has inquam virtutes, in Christo ita conspicuas, ut per omnem vitae rationem clarissimis exemplis infixa splendeant, inter praecipuas tantae orationum eius efficaciae esse referendas, nullus dubitaverim.

In his, quae hucusque disputavimus, latent praecepta gravissima, religionis doctoribus, qui in concione dicentes per vestigia summi generis humani doctoris ad laudem orationis gravis et efficacis sibi contendendum putant, diligentissime observanda. Primum itaque hoc alte animis infixum habeant, institutionem popularem ad praecepta veritatis fructuosa et virtutis actuosa esse revocandam, exclusis cum subtilioribus theologo-

rum placitis, tum etiam traditionum de vita Iesu Christi partibus iis, quae nulla neque pietatis, neque virtutis habent incitamenta, et nutrimenta. Subtiliora quidem theologorum placita, toties inter controversiae et disputationis aestum, iurgia, studia, nata, ut nihil dicam, quam saepe sint arbitraria et fundamentis parum firmis superstructa, a populo certe nunquam bene percipi possunt, cum in iis explicandis tuendisque vel doctissimus quisque ab omni tempore desudaverit, nec percepta ulum vitae habent. Ad historiam vero Iesu quod attinet, in memoriam revocandum est, Evangelistas cogendis narrationibus suis, tempori maxime suo consuluisse, multaque ab iis congesta esse, quae, ut ut isti aetati proficia, a nostra tamen aetate aliena sunt, quibusque copiose in concione tractandis profecto nihil aliud efficitur, quam ut vulgus, rerum gestarum insolentia perculsus, pulchris narrationibus, quibus phantasia expletur, adhaerescat, atque adstupeat, rerum, quae iudicium et attentionem desiderant, gravitate neglecta. (13) Quae ad bonam mentem excitandam, alendam, roborandam faciunt, quae ad vitam pie, honeste, feliciter agendum necessaria et utilia sunt, ea vehementer optandum est, ut omnibus, doctis pariter et indoctis, nota sint et vulgata; quaecunque vero ex philosophico seu theologico acumine suspensa sunt, vel non perspicuam habent cum virtute et honestate coniunctionem, ea e disciplina

popu-

(13) Subtiliora placita theologica neque Christianismi fundamentum confitueri, neque in popularem intelligentiam cadere, praecclare docuit S. Ven. TELLER in excursu II. ad *Burneti l. de fide et officiis Christianorum* p. 260 sq. De historiae autem Iesu tenenda tradendaque modo multa utiliter monuit b. DOEDERLEIN, vir desideratissimus, et de literis immortaliter meritus, in IV Programmatibus, Janae 1783-86. repetitis in opusc. Theol. p. 1-58.

populari penitus eiicienda, saltem intra librorum claustra viro-
rumque doctorum conventus releganda sunt. Ipsae adeo super-
stitiones et erroneae opiniones non disputationis subtilitate,
quam hominum multitudo non assequitur, animis eximenda,
sed tacite, et sine omni aliter sentientium acerba increpatione,
interdum obviis formulis meliorem tantum sensum subiiciendo
vel attexendo, veriora et rectiora iis instillanda sunt, quibus
semel admissis prava sponte excidunt.

Deinde caveant sibi religionis doctores, in officiis pro
concione explicandis ne rem confectam putent, si virtutum at-
que officiorum vim et naturam universe tractaverint. Difficilius
enim haerent universae illae notiones, plerisque cogitatione
recisis, per quae adhaerescere in animis hominum possint: cum
in rebus singulis, concretas schola vocat, permultae sint veluti
ansae per quas arripi ab unoquoque tenerique possint. Itaque vi-
vidis potius rerum descriptionibus, exemplisque adiunctis uni-
verse praecepsis lucem adsundant, eaque ad intelligentiam po-
pularem proprius admoveant, virtutem et religionem, ut ita di-
cam in palatia potentum ac divitum, pariter atque casas humili-
um et pauperum, in musea sapientum et officinas opificum
deducant, nullamque vitae partem, neque publicis neque pri-
vatis in rebus, neque si tecum agas aliquid, neque si cum altero
contrahas, officii conservatione sanctoque numinis cultu vacare
debere demonstrent. In primis audientium ingenia ut probe
dignoscant, temporum articulos et momenta recte dimetiantur,
hisque rationibus institutionem omnem accommodent, operam
sibi dandam esse putent. Oratio vero popularis, ut respuit ver-
borum cincinnos, fucum et calamistra, ita neque impura et hor-
rida, neque exilis atque exsanguis esse debet, sed plana, dilu-
cida,

cida, terfa, venuusta, ad rerum dignitatem apta, interdum etiam ornata. *Ipsa enim vitae paecepta, ut bene monet* QUINCTILIANUS (¹⁴), *etiam si natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes valent; quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat.* Admonendi autem sunt hoc loco bonaे spei iuvenes, qui ad bene graviterque in concione dicendi facultatem adspirant, nunquam eo se pewarturos esse, nisi omnem honesti disciplinam accurate pertractaverint, hominum mores atque rationes penitus perspexerint, ea quoque, quae in consuetudine vitae ac sensu hominum communi versantur, cognita habuerint, et paestantissimis quibusque scriptoribus legendis et assidue versandis illam ingenii ac sensus vim, quam gustum pulchri verique appellamus, induerint; omninoque si in hoc negotio feliciter versari velis, ingenium adferendum esse, multis variisque literis probe subiectum, omnibusque iis artibus, quae libero dignae sunt, probe instruetum atque perpolitum. *His ipsis enim, si in dicendo non utimur, tamen apparet atque exstat, utrum simus earum rudes, an dicerimus* (¹⁵).

Ante omnia autem ecclesiae doctores, nisi omnem vel paestantissimae paeceptionis fructum sua ipsorum fraude et culpa intercidere velint, hoc sedulo sibi curandum statuant, ut sint ita morati, ita animo vitaque constituti, quemadmodum doctrina Christi sanctissima postulat, ut leges, quas aliis inculcaut, sibi etiam scriptas se putare factis ostendant, ut veritatis, quam profitentur, paestantia et gravitate excitati et inflammati, sensus suscipiant et alant nobiles et generosos, ab omni humilitate ac servili scurrilique foeditate alienos, vitamque agant probitare, candore

(14) I. O. L. II. c. 16. p. 101.

(15) Crassus apud Ciceron. de orat. L. I. c. 16.

candore, temperantia, modestia, benevolentia et humanitate, verbo, omnibus iis virtutibus conspicuam, quas nomen *amoris erga Deum et alios e disciplina Christiana complectitur.* Itaque exemplum Christi sanctissimum tota mente atque omni animo ita intueantur, ita animis ad perpetuam memoriam infigant, ut eius reverentia et pietate tactus animus ad severam virtutem se componat (¹⁶).

Sed haec hactenus. Deveniendum enim est ad id, cuius causa haec scriptio instituta est, et publice significandi sunt honores in theologia summi, in candidatum dignissimum ab ordine nostro translati. Ita vero ipse de vita sua, de fatis, studiis, gestis muneribus, scriptisque editis ad nos retulit:

Ego

- (¹⁶) De orationibus in concione habendis recte et utiliter instituendis post SPALDINGIUM (Nuzbarkeit des Predigtamts, ed. 3. Berolin. 1791.) et NIEMEYERUM (Handbuch für christliche Religionslehrer T. II. Hal. 1790. T. I. 1792.) multa praeclare monuerunt. NOESSELT in L. Anweisung zur Bildung angehender Theologen T. IIIIto ed. 2dae. Auctor *Anonymous* libelli: Ueber Geist und Wahrheit der Religion Jesu. Prag 1787, itemque aliis *Anonymous* in libro bonae frugis pleno: Untersuchung der Frage: Warum wirkt das Predigtamt so wenig auf die Sittlichkeit der Menschen? Fref. ad Moen. 1792. Teller in Neuem Magazin für Prediger (v. Inprimis T. I. Part. I. p. 1-24. Marezoll von der Bestimmung des Kanzelredners, Lips. 1793. etc. — Paucas sed egregias admonitiones adspersit Kant in opere immortalitate digno: Kritik der Urtheilskraft p. 213 sq. cf. Eiusdem Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft, p. 265 sq.

C

Ego LUDOVICUS THEOBULUS KOSEGARTEN
 natus sum ipsis Calendis Februarii anni CCCCCCLVIII. in terrae
 Suerino - Megapolitanae oppido, GREVESMOLA dicto; paren-
 tibus usus, patre adhuc superstite, ejusdem oppidi verbi divini Mi-
 nistro atque Synodi Praeposito, BERNHARDO CHRISTIANO
 KOSEGARTEN; matre vero, quarto aetatis anno mihi erenta,
 cuius molliter ossa cubent, SOPHIA BVTTSTAEDT.

Prima litterarum tirocinia sub pluribus domesticis magistris
 posui; at ab anno inde decimo tertio maximam partem mihi ipse reliquis,
 sed patris tamen et consilio et bibliotheca adiutus, linguis latinae,
 graecae, hebraeae, gallica, historiis, Philosophiae Leibnitzio-
 Wolffianae, nec non Theologiae, BAVMGARTENIO in primis
 duce, operam dedi.

Anno decimo septimo ad Academiam Gryphiswaldensem progres-
 sus, per duos, quos ibi moratus sum, annos, theologicas clarissimo-
 rum virorum, QVISTORPII atque BROCKMANNI, philo-
 sophicas AHLWARDTI atque MVHRBECKII, mathematicas
 ROEHLII atque MAYERI, historicas MOELLERI, he-
 braicas PIPERI scholas frequentavi.

Inde per octo annos pluribus Pomeraniae, Rugiae, terraeque
 Megapolitanae locis domesticus docttor, non solum ea, quae cooperam,
 litterarum studia retractare sollerter et uberior excolere collaboravi, sed
 ad nova etiam progressus, privato studio plures linguas edidici, arabi-
 cam, syriacam, italam, hispanicam, suecicam, anglicanam; islan-
 dicae etiam atque erficae in rei poeticae in primis emolumentum ope-
 ram dedi.

Anno

Anno ccccclxxxv Wolgastiam scholae urbanae Rector evocatus, munere illo per sex annos ita funditus sum, ut non solum ultra centum juvenes studiis academicis et mercaturaे præpararem, sed etiam librorum sat magnam copiam exararem; carminum sylvas ederem, rhapsodiarum, varia variarum disciplinarum capita adumbrantiam, volumen conscriberem, Clarissam, egregium opus RICHARDSONII Angli patrio sermone donarem, SMITHII, clarissimi Scotorum Philosophi, theoriam quam dicunt moralium affectuum verterem, præfarer atque commentarer, historias Romanorum, quatuor voluminibus, quorum jam duo prodiere, absolvendas, enarrarem, aliaque plura, partim iamiam edita, partim adhuc edenda, indeffuso studio elaborarem.

Exeunte fere anno ccccxci plura ab exteris eodem tempore munera deferebantur, quorum unum (primi nempe in lycaeо Rigeni Professoris) iam in eo eram, ut susciperem, cum glorioсissimae memoriae Rex, GVSTAVVS III. ab ipso Filio Principe, iam Rege nostro Augustissimo, cui Romanorum historias devotissimo animo dicaveram, rogatus, verbi divini Ministri in Altenkircha, terrae Wittoviensis in insula Rugia vico, munus, pluribus de causis præ aliis expectendum, benignissime mili largiretur. Quo factо XVII. Cal. Iunii anni cccxcī sacro ordini solemni ritu adscriptus, IX. Cal. Iulii vero eiusdem anni ad munus demandatum publice inauguratus sum; cui quidem rite obeundo iam tota mente occupor, et, quantum augurari licet, ad Libitinam usque occupabor.

Huic tali viro singularibus ingenii dotibus instructo, et cum doctrinae copia, tum munerum, quibus fungitur, gravitate meritisque clarissimo, postquam, ut legibus académiae nostrae satis fieret, eruditam dissertationem: *De Autorum sacrorum ipsiusque Iesu Christi vi atque indole poetica nobiscum communicare non dignatus est, honoribus Doctoris Theologiae ornandum atque condecorandum iudicavimus, certoque confidimus, ab eius doctrina plurimum utilitatis in Ecclesiam esse redundaturum.*

P. P.

IN ACADEMIAE ROSTOCHIENSI
SVB SIGILLO FACULTATIS THEOLOGICAE
D. XXX. OCTOBR. MDCCXCIII.





19

Anno c^{irca} CCCLXXXV Wolgastiam scholae urbanae R^ecatus, munere illo per sex annos ita functus sum, ut non sⁱ centum juvenes studiis academicis et mercatura*re* prae*parare*m, librorum sat magnam copiam exararem; carminum sylv*r* rhapsodi*arum*, varia variarum disciplinarum capita tium, volumen conscriberem, Clarissam, egregium CHARDSONII Angli patrio sermone donarem, SMIT*r*issimi Scotorum Philosophi, theoriam quam dicunt m*a*ffectionum verterem, praefarer atque commentarer, Romanorum, quatuor voluminibus, quorum jam duo pro solvendas, enarrarem, aliaque plura, partim iamiam edita adhuc edenda, inde se*ffo* studio elaborarem.

Exeunte fere anno c^{irca} CCXC^I plura ab exteris eod*m*unera deferebantur, quorum unum (primi nempe in lycei Professoris) iam in eo eram, ut susciperem, cum glorio*s*piriae Rex, GVSTAVVS III. ab ipso Filio Principe, nostro Augu*stissimo*, cui Romanorum historias devotissimo i*veram*, rogatus, verbi divini Ministri in Altenkirch Wittouiensis in insula Rugia vico, munus, pluribus de causa expetendum, benignissime mihi largiretur. Quo fact*o* Xth Iunii anni c^{irca} CCXC^I sacro ordin*i* solemmni ritu adscriptus, Iulii vero eiusdem anni ad munus demandatum publice inaugu*re* cui quidem rite obeundo iam tota mente occupor, et, quantum licet, ad Libitinam usque occupabor.

C 2




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 150